

ROHAM, FILII E-
LIV, &c.

fortitudo, atque prudentia virilis animi elementa sunt, sine quibus neque quisquam eam dignitatem adipisci, neque adeptam conservare potest. Quis enim eum virum nominet, quem præcipiti quadam cœcitate, ad instar eorum animalium quæ neque consilio neque prudentia uti norunt, in casses ruere videat? Quis eum, quem auium rapacium more sese cibo potuque nimio ingurgitantem, nulla habita decori honestique ratione? Quis eum, quem animaduertat ad leuissimum quemque periculi motum, ut lepores solent, pavitantem, nec vllum virtutis specimen in periculis aut subeundis aut propulsandis edentem? Quis eum denique, quem perspiciat ferinum in morem in alios debacchantem, opes inuadentem, corporibus insultantem, iura omnia diuina atque humana pedibus conculcantem, viri appellatione dignum existimet? Appositè mea quidem sententia, qui primi omnium alios bello lacessuerunt, serpentium, ferarum, atque auium rapacium formas suis vexillis prætulērunt, ne quis vultus humanos cernens specie deciperetur, cum reuera non essent illi homines, sed belluinam mentem induissent. Sed neque ego eum virum dixerim, qui fide in Deum careat, speitem, charitate, & religione. Nam si virum esse est proximè ad Dei imaginem accedere, quomodo is accedere putandus est, qui sit ab eo alienissimus? Quomodo autem non sit is ab eo alienissimus, qui neque fide eum nouerit, neque spe eidem inhæreat, neque amore cum eo coniunctus sit, nullo denique religionis commercio cum eo conueniat? Etsi namque præclara quadam de virtutibus antiquiores Philosophi, qui veræ fidei expertes fuerunt, disseruisse videantur, & non nihil etiam suis moribus expressisse: non ideo tamen tam viri dicendi sunt, quam psittaci, aut simiæ. Nam quemadmodum illa quidem vocem, & corporis gestus emulantur, mentem autem hominis, vt pote quæ diuini r sit, induere non possunt: ita nec philosophi; neque enim quidam de quibus disputarent ipsi potuerunt agnoscere. Nam quis virtutis scopus, quis finis, quæ origo, vnde principium, cum definire volunt, aduerte animum obsecro quid responderint: vt bene beatæque viuas inquirunt, nullisque malis sis. obnoxius. nam illa ad beatam vitam seipsa contenta est, aut certè felicitatis portio maxima, vt satius Peripateticis visum est. Quod quàm sit ab omni ratione alienum illi vtique non ignorant, qui Deum solum esse hominis finem vltimum, eundemque summum bonum non ignorant. Iam verò in constituenda ipsa virtute quantum à veritate aberrarunt? Eam namque volunt ab animi nostri proposito totam proficisci: eum illi fontem assignant, hanc illius volunt esse scaturiginem, cum tamen à Deo præcipuè manet, sitque illius & quidem singulare beneficium. Sed neque naturam illius potuerunt explicare, cum nihil nisi humanum in ea agnouerint, seu habitum spectes, qui animo insidet, seu actum qui per vices foras erumpit:

Non hominem virtutem beatum, sed sola Dei possessio facit.

A cum tamen pars virtutis præcipua, diuina gratia constet, & eadem constituat. Quid igitur sibi vult quod in plerisque nobiscum consentiunt? Nimirum non desuisse illis naturam duccem, & ingenij eximiam quandam vim ad ea quæ optima essent ritè atque ordine constituenda, si horum omnium auctorem Deum, de famæ potius atque nominis celebritate quàm de sua salute solliciti, præ superbia, vt ait Apostolus, non spreuissent. Cæterum, quemadmodum optimum quemque colorem nosse à fucò discernere, eruditus quidem oculos habere docet, non autem pictorem facit: sed neque si nouerit quispiam coloribus, auium ferarumque figuras imitari, illico credendus est hominis quoque vultum ad viuum effingere posse; ita neque si quisquam Philosophus ingenij acumine, quæ honesti speciem præferant, à turpibus secernat, aut etiam aliquam earum actionum quæ naturalem bonitatem redoleant exerceat, continuè vir dicendus erit: sed is solus qui verè Deum fide atque amore complexus, arduum virtutis iter aggreditur. Non quòd eam suis viribus parer, aut in ea tanquam sine conquiescat: sed vt illius ductu atque præsidio ad eum perueniat, in quo omnis votorum ipsius, & perfectæ beatitudinis summa consistit. Quod autem de gentilibus Philosophis dictum est, idem quoque suo modo de hæreticis intelligendum est. Hos namque pariter superbia & arrogantia excæcauit, vt in eosdem pariter scopulos impingerent. Nisi fortè eò iniquiores hæreticos quis dixerit, quòd illi virtute quidem beatitudinem finiebant intra naturæ limites, isti verò cœlo Deoque, vt par est, definiunt; verum cum virtutem omnem abdicarint, & bonis operibus bellum indixerint, nullamque aliam iustificationem admittant, quàm quæ in sola Christi attributione posita sit, quæ non iustificet ipsa quidem, sed iustos, si fas est credere, credi faciat: cœlo noua quædam portenta ingerunt, quæ tametsi non putentur, suis tamen sceleribus in feras euaserunt. Quæ nescio an cum acephalis, centauris, & draconibus, quæ stellis præcætas adscripsit, iure merito conferre possis.

Quòd si quis Minimum ex his instituendum suscipiat, poterit quatuor illos Elcanæ progenitores ad sua vota, quæ pari numero constant non incommode referre. Illis namque tanquam progenitoribus, in eo ordine ad Religionis perfectionem nascimur, quæ verè nos Deo totos acquirat, & mundo, carni, & diabolo ereptos, in æternum diuinæ possessioni vendicat & attribuit.

Minimum vota quatuor Elcanæ progenitoribus comparantur.

V E R S V S 2.

Et habuit duas vxores, nomen vni Anna, & nomē secundæ Phenenna. Fueruntque Phenennæ filij: Annæ autem non erant liberi.

DONATVS. in 2. scenam Hecyræ Terentij. Vxor dicitur ab yngendis postibus.

Donatus. Vxor unde dicitur.